



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 3. Generalis diluuij causa, & effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Dec. 2.
Simile
quid nar-
rat AE-
mil. lib. 5.
de Dar-
gano.

fuis militibus, cōtra impios? Cūm Andreas Vngariæ rex, & Christianæ militiæ, in Palestina, imperator, expugnatâ Damiatâ, ad Nilum, vrbe, Cayrum & Babylonem, quos se Soldanus receperat, obsideret; Suldanus Melchechelchemel Nilum, sub Babylone & Cayro, altioribus solito ripis coërcuit; & cūm paucis post dieb⁹ ille, opinione citius, vehementer intumisset, extemplo defossis vtrinq; ripis, inundationem amnis in hostium castra deriuauit. Effunditur, diluuij more, fluuius; & altiùs altitudine cubiti cuncta superat; ex quo intolerabile Christianis detrimentum illatum fuit. Siccine nōrunt homines vti aquis in DEI seruos, volūntq; ; vt aquæ à se faciant, & DEVS non submergat aquis hostes? Enimuerō fecit id strenue, fecit cum ingenti virtutis suæ autoritate.

§. III.

Generalis diluuij causa & effectus.

Hac de causa, generali illo cataclysmo, totus mundus, præter octo homines, est obrutus. Tūc enim *rupti sunt omnes fontes abyssi magne, & cataractæ cali apertæ sunt, & facta est pluuia super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & sensim ita in immensum excreuit aquarum multitudo, vt, quia*

Ocea-

Oceanus non suffecerat, ad tot scelerum fordes abluendas; illis temporibus, vis undarum tandem culmina summorum montium, quindecim cubitis, excederet. Nimirum multis aquis opus erat, ad abluendam tantam multitudinem foeditatemque flagitiorum. Quae utinam penitus, & cum stirpe ablata esset. Propagati sunt enim, post diluuium quoque; non homines tantum, sed etiam peccatores, qui, cum peccatis repullularunt. Cur conqueritur mundus, si, quod meruit, patitur? Meruisse, diuinis tabulis probatur.

Nam videns Deus, quod multa malitia esset in **Gen. 6. 5.**

terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset, in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terra. Noe vero inuenit gratiam, coram Domino. Hinc in Arca seruatus est.

Quod neque Ethnicos latuit. Nam, ut taceam, quod de Deucalione Poetae fabulantur, in Occidentali historia, legimus, regem Nicaragua interrogasse Christianos illuc primum appulso, Num haberent notitiam alius generalis diluuii? & An simile quid ad huc esset expectandum? Hinc verè Lactantius agens de scriptoribus Ethnicis: Factum esse

Iudich. in
occid. hi-
stor. lib. 6.
c. 5. La-
ctant. li. 2.
cap. 10.

N

dilu-

diluuium ad perdendam, tollendamq; ex orbe,
malitiam, inter omnes constat. Multa homines
corporum vitia solent aquis curare; an non
aquis DEVS curet vitia animorum? Curat
enim, dum castigat. Quippe vnus suppli-
cium, alterius est exemplum. Enimvero etiã
diluuium illud plus fuit, quãa supplicium
& exemplum, quia remedium quoq; non-

S. Hilár.
in Pl. 118.

1. Petr. 3.

nullis fuit, vt D. Hilario videtur. Neq; om-
nes diluuio submersos æternum perijisse, piè
creditur, & D. Petro conuenienter, de Chri-
sto ita loquenti: *In quo & his, qui in carceri-
erant, spiritibus prædicauit, qui increduli fue-
rant aliquando, quando expectabant Dei pa-
tientiam, in diebus Noë. Licet enim riserint
Noë pœnitentiæ opera prædicantem incre-
duli, & mille confixerint sarcasmis, nullum
diluuium futurum putantes; credibile ta-
men est, tandem ipsius rei prædictæ præsen-
te, & ante oculos versante periculo, multos
commonitos, ad seriam pœnitentiam con-
uersos esse, & de scopulo lachrymas ante,
in assurgentes aquas profudisse, quãa aquã
ipsi haurirent, & ab aqua haurirentur.*
lebrnet einer schon schwimmen / wann ihm
das Wasser in das Maul geht. Adeo, et
per aquas, velut inter aurum & sil, bono
à ma

ai. d. 118
ad. 118
ad. 118
ad. 118
ad. 118

à malis, pœnitentes ab impœnitentibus
discriminauit mundi Gubernator.

§. IV.

*Quàm grauitè Ægyptiorum contumacia &
impietas, aquis sit punita?*

Quod etiam postea euenit, quando, Israë-
litis in littus egressis, serui DEI incolumes
euaferunt; exercitus autem Ægyptiorum
omnis, cū quadrigis & cāballis suis, in Ery-
thræo mari, relabentibus aquarum cumulis
inuolutus obrūtusq; est, socio exilij & au-
thore Pharaone. Nimirum grande pondus
est impietas, vsque in Tartari ima, & ad ba-
rathrum vltimū deprimat præuaricatores.

Exod. 14.

Hinc Ægyptij *submersi sunt, quasi plumbum,
in aquis vehementibus*: Israëlitæ autem inter
fluctus, tāquam per muros solidissimè stan-
tes, sicci, indemnésque transierunt. Ante
hanc vltimam & capitalem Ægyptiorum
cladem, multæ monitiones diuinæ præces-
serūt, inter quas etiam plagæ extitère, qua-
rum prima fuit illa aquarum in sanguinem
cōuersio. Siquidem Moyses *elevans virgam,*

Exod. 15.

10.

*percussit aquam fluminis, coram Pharaone, &
seruis suis: qua versa est in sanguinem.* Multis
de caussis hæc plaga fuit atrox. 1. Quia
omnes Ægypti aquæ, vbiq; demum ex-
titerint,

Exod. 15.

19.

N 2

titerint,